



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 1. Victoriæ classis Venetæ adversus Turcas

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

XIII.
ori for-
e sunt
ta, ac
e con-
jusque
initate
& de
anno
la con-
prodi-
de re-
e deci-
ne &c.
Collegii
octoris
inter
in Ma-
e com-
& de
ntem



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ LIBER CXIV.

SIXTUS IV. PONTIFEX MAXIMUS.
FRIDERICUS III. OCCIDENT.
IMPERATOR.

§. I.

*Victoriæ Classis Venetæ adversus
Turcas.*

Veneti auxiliis tam a Pontifice, quam ab aliis quibusdam Italiæ Principibus sibi submissis aucti, cæptum belli ardorem adversus Turcas strenue prosequuntur. Sub idem tempus Caramaniæ Princeps, cum Rege Perfarum

Secul. XV.
A.C. 1473.

Hist. Eccles. Tom. XXIX.

F f fœ-

STO.

Sæcul. XV. foedus iniit; cum vero a Mahomete magna Principatus sui parte spoliatus esset, A.C. 1473. a Mocenigo Venetæ classis præfecto suppetias obtinuit. In ejus opem præter Venetos etiam accurrebat summus Pontifex cum classe decem triremium, totidemque navigia, quæ tum in promptu habebat, submisit Ferdinandus Neapolis Rex. Horum auxilio adjutus Princeps, tres potissimas ditionis suæ urbes recuperavit. Expleta hac expeditione Mocenigus, ne otiose subsisteret, totam Lyciam grassationibus, ac deprædationibus infestat, dum interea Usumcassanus Persarum Rex ex alterius regionis parte in Turcas bellum moveret.

§. II.

Rex Persarum in primo victor, in altero prælio cæsus.

*Phranz. l. 3.
c. 30.
Leunclav.
l. 15.*

Usumcassanus primo prælio Mahometis exercitum ingenti clade prostravit, ipsumque Beglerbegum, id est, summum Turcicæ Provinciæ in Europa Præfectum cum multis aliis Principibus ac ducibus trucidavit. Verum altero prælio cum Turcis inito armis suis infestam experiebatur fortunam; cum enim nondum belli tormenta a Venetis accepisset, impune a Mahomete tanta flammæ ac globorum tempestate impetebatur,